



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti
Ethicorum**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1583

VD16 ZV 20638

Divisio Ivsticiæ Particvlaris.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56560](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56560)

suas utilitates cum alterius detrimento auget, non eum, qui damno afficitur.

In fine addit sententiam non negligendam, leges de discrimine complecti debere omnia officia necessaria ad communem salutem. Nos quidem exemplum optimum habemus Decalogum, & Aristoteles postea inquit, Optimum statum esse ciuitatis, qui constitutus est secundum naturam, id est secundum naturale & rectum iudicium rationis humanæ, quod quidem est Decalogi sententia.

Addit autem questionem Aristoteles, an eadem sit doctrina viri boni, & ciuis boni? Hanc questionem ait alibi disputandam esse, hoc autem sentit. Supra leges naturæ in vita ciuili, opus esse positiuo iure, ac in imperijs rectè constitutis, tamen iura positua differunt, vt Respublica Iudaica differt à Romana, & verissimè dictum est ab Æschilo, quod citat Plato: Alius ad aliam ciuitatem magis idoneus est. Differunt igitur iura positua, in quibus tamen hoc seruari necesse est, ne pugnent cum ratione. Ideo certis legibus, & doctrina quadam erudita, quæ fontes honestorum officiorum monstrat, opus est, ne qualibet somnia potentium pro legibus ducantur.

**DIVISIO IUSTICIÆ
PARTICVLARIS.**

Tandem hic incoat diuisionem iusticiae parti-
 cularis, vbi primum studiosus lector consideret,
 quas habeat Aristoteles necessarias causas ha-
 rum partitionum. Fuisse autem antea discernen-
 dam vniuersalem obedientiam à particulari vir-
 tute, facile intelligi potest, & communis sermo
 omnium gentium cogit eam distinctionem obser-
 uare, vt testimonia sacrorum librorum indicant.
 Deinde huius secundae diuisionis necessaria caus-
 a est. Quia iusticia particularis propriè est vir-
 tus regens communicationem cum alijs, & effici-
 ens aequalitatem rerum. Omnis autem communi-
 catio cum alijs, aut personas ordnat, aut res com-
 pensat. Aliter autem constituitur aequalitas, in
 personis ordinandis, aliter in rebus compensandis.
 Necessè est igitur tradi hanc distinctionem. Por-
 ro quia doctrina de virtutibus haud dubiè testi-
 monium est de Deo, mentibus humanis impres-
 sum, vtile est in omnium virtutum consideratio-
 ne referre oculos ad Deum, & cogitare, qualem
 (vt ita dicam) effigiem Dei virtutum descriptio-
 nes pingant. Praecipuè vero iusticia nos de ma-
 gis rebus admonet. Cum iusticia particularis sit
 aequalitas, primum testatur Deum, cū sit iustus,
 aequalem esse erga omnes, aequaliter se habentes,
 nec esse acceptatorem personarum, hoc est, non
 accipere quengquam aut reijcere nisi iuxta vnā
 legem, quam proposuit. Verè recipit omnes

N

confugi-

confugientes ad Mediatorem, reijcit omnes contemnentem Mediatorem, nec aliam prerogativam extra hanc normam admittit. Est igitur equalis, vt Paulus dicit: Deus vult omnes homines saluos fieri.

Secundo, equalis est, quia certò reddit premia pro virtute, & poenas pro delictis. Hanc verò equalitatem in iudicio extremo clarius conspiciemus. Caterum & hæc vita civilis testis est, atrocitæ scelera comitari insignes poenas, & iustis & moderatis parci.

Tertiò, cum equalitatem rerum Deus inter nos velit effici, obligat omnes homines ad mutuam reuerentiam inter sese, non contemnat Cræsus Irum. Etsi enim necesse est ætatum ac officiorum discrimina esse, tamen Deus sanxit equalitatem inter homines, vult Irum non defraudari à Cræso, vult igitur equalitatem inter eos esse, ita, vt vtrinque præstentur debita officia nec superbè conculcetur Irus, quasi nullo vinculo cum illo copulatus, & exæquatus sit, vt conculcatur truncus. Hæc equalitas sancita est in præcepto: Diligas proximum sicut teipsum. Cum supra virtutes dixerit mediocritates esse, scilicet affectuum, venustè iam quærit, qualis mediocritas sit iusticia. Hæc enim est non affectuum, sed rerum mediocritas, id est, equalitas mercis & precij. Argutè igitur ratiocinatur, cum omne æquale sit mer-

dunt inter plus & minus, congrue hoc loco, æ-
 qualitatem dicere medium. Etsi autem difficul-
 tas in hoc textu nulla est, tamen tanta est exili-
 tas rerum, ut nouum lectorum hæc argutiæ penè
 effugiant. Sed hæc admonitio cogitanda est.
 Hoc agi scias, æqualitatem, inquit, in hac virtute
 medium dici, rerum videlicet: deinde addit,
 quia iusticia non, ut cæteræ virtutes, tantum
 nos ipsos regit, sed cum alijs agit, ideo multæ fi-
 unt collationes. Ac tandem venit ad distributi-
 ones, quas ait consistere in quatuor terminis, du-
 obus gradibus bonorum, & duabus personis, ut
 se habent munus Cancellarij, & munus Im-
 peratoris, sic se habent Cicero & Marius. Sed
 Cæro est aptus muneri Cancellarij, Ergo Marius
 est aptus muneri Imperatoris.

Ut autem hæc Aristotelica plane intelligan-
 tur, & in vita ad vsum accommodari possint,
 summa huius loci exponenda est. Primum, causæ
 necessaria consideretur huius diuisionis, ut su-
 pra dixi. Est autem hæc causæ: Iusticia particu-
 laris regit omnes actiones, quæ in hac societate
 erga alios homines exercentur.

Porro genera actionum erga alios duo sunt,
 sunt sunt plura. Aut enim res tantum communi-
 cantur, aut personæ ordinantur. Ex hoc fon-
 te manant duæ species iusticiæ particularis. Dis-
 tributiuæ in vniuersum ordinat personas, monet

ut consideremus, ubi viuamus, inter quas personas versemur, quem locum singulis tribuere deceat, iubet intelligere nostrum locum, & accommodare ad ceteros, & ad conseruationem vniuersae Societatis. Gradus igitur constituit, Deum, magistratus, parentes, natos, benè meritos, propinquos, collegas eiusdem muneris, amicos, æquales, inferiores, liberos, seruos.

Horum singulis tribuit conuenientem honorem, & conueniens munus. Hæc conuenientia est æqualis in distributiua iusticia, & præcipua obedientia est, honos Deo conueniens. Officium ærendi infantem est munus, quod parentes præstare natis debent. Hæc conuenientia est æqualitas. Ut autem in corpore humano, etsi dignitate membra differunt, tamen propter necessitatem omnia simul fouenda sunt: sic in societate sit ex æquatione necessitatum. Differunt dignitate, concionator, senator, bellator, agricola, faber, sed necessitas omnes gradus complectitur, totam igitur societatem intuetur iusticia. Non enim posset conuenientem singulis gradibus locum tribuere, nisi totum ordinem intueretur.

Necessaria igitur virtus est hæc distributiua iusticia, quæ nos de personis monet. Ostendit omnium loca, nostrum etiam nobis attribuit, iubet nos nostram spartam ornare, non erumpere extra metas nostri officij, & conturbare ordinem.

et aliorum graduum munera. Pertinet igitur ad
 distributivam iusticiam, officium proprium face-
 re, et alios non impedire, sed tribuere cuilibet su-
 um locum, suam munus. Et cum hac virtute pu-
 gnat Superbia et πολυπραγμοσύνη erumpen-
 ter extra metas: in gubernatore tyrannis, quæ fo-
 ret malos, et premit bonos, cum æqualitas, quam
 postulat iusticia, sit, benefacta beneficijs, malefas-
 ta pœnis compensare.

Ex hac declaratione intelligi potest, iusticiam
 distributivam oportere in singulis hominibus esse.
 Eruditè autem Aristoteles declarat eam, sumit
 imagine ex collatione Geometricarum proportio-
 num, ita hic rerum et personarum convenientia
 queritur. In aula opus est munere Cancellarij, et
 munere quæstorio, ad hæc quærantur personæ ido-
 neæ, ut de Geometrica proportione dicimus, sicut
 se habent 8. ad 4. sic se habent 10. ad 5. hinc igitur
 fit argumentum à permutata proportione hoc
 modo:

Sicut se habent Cancellarius et Quæstor, sic
 se habent Mercurinus et Saltzburgenfis, sed
 Mercurinus est idoneus muneri Cancellarij, Ergo
 Saltzburgenfis est idoneus ad munus quæstorii.
 Addenda est et hæc collatio: Sicut se habent
 1000. ad 100. sic se habet munus Cancellarij ad
 quæstorium. Sed quæstori 100. dantur: ergo den-
 tur 1000. Cancellario. Sicut se habent Synodi in-

dicitum & quaestura, sic se habent Erasmius &
 Saltzburgenſis, ſed Saltzburgenſis eſt idoneus
 ad quaesturam: Ergo Erasmus ad Synodi iultu-
 rum. Ideo Plato dicit: Quicquid boni fit in guber-
 natione, oriri à proportione Geometrica, id eſt,
 cum perſonæ conveniunt officijs. In Apologo
 Aſapi exemplum illuſtre proponitur, quod non
 net confundi hanc proportionem à tyrannis: Leo
 vulpes, aper, equus, & aſinus, ſimul venati, et
 tauros ceperant. Leo iubet aſinum dividere præ-
 dam, is ſecat tauros omnes in ſæquales partes, &
 tribuit ſingulis, quia vna venati erant, vnam.
 Hic Leo iratus dilaniat Aſinum, inquit: ſibi
 plus deberi quàm cæteris, quia antecellat alijs ro-
 bore, & plus laboraſſet, quàm cæteri, iubet igitur
 equum partiri, Qui admonitus exitu aſini, & eo-
 gitans aliquanto plus deberi Leoni, attribuit ei
 integrum taurum ſingulis cæteris dimidium. Leo
 & hunc conceperit, iam non allegans operas, ſed
 ait, plus honoris, tanquam regi ſibi tribuendū
 eſſe. Tandem iubet vulpem dividere prædam,
 hæc cumulat omnes partes & iubet leonem
 ferre vniverſam prædam: interrogata vulpes,
 unde didiciſſet hanc partitionem, reſpondit, ab
 his purpuratis doctõribus, id eſt, à laceratis iudi-
 coribus, ſignificans tyrannos ſequi in iudices,
 ſeu conſiliarios non ſervientes ipſorum cupidita-
 tibus. Servauerat autem aſinus proportionem
 Arith

Arithmetica, equus Geometrica, tyrannus
 iramq; conturbat.

Sic in Synodo, qui singulis è vulgo iudicandi
 potestatem concedi volunt, asini diuisionem imi-
 tantur: qui deligunt idoneos, seruant Geometri-
 cam proportionem: sed tyranni, more leonis, con-
 turbant eam, & ad sese rapiunt omnia. Hæc ex-
 empla & illustrant textum, & quotidiana vita
 huiusmodi harum disputationū Aristotelis monstrat.

Ut igitur ceteras virtutes in omni delibera-
 tione de vita & morib. nostris aspicere nos oportet,
 & earum descriptionibus, tanquam legibus,
 frenare omnes motus, vt doctrina de mansuetu-
 dine regenda est iracundia: Ita doctrina de iustia
 distributua excitet nos, vt vitæ gradus intue-
 amur, Ecclesiam, politias, familias, moneat
 quem gradum ipsi teneamus, quo loco, inter quos
 versemur. Necessaria hæc diligentia est in vita,
 & ad hæc præcepta pertinet: Time Deum, Ho-
 nora parentes, Nosce teipsum, Dilige proximum,
 Spartam quam nactus es orna, ne erumpas extra
 vocationem. Hæc præcepta omnia cum comple-
 ratur iustia distributua facile intelligi potest,
 latissime patere eius actiones. Facit contra iusti-
 tiam distributinam Saul, cum accensus æmulatis-
 sine, non vult tribuere Davidi locum in Repub.
 quem meretur, cum non agnoscit dona in illo, da-
 ta propter communem salutem, amanda & fouen-
 da esse, Deo gratias agendas esse pro munere,

cuicunq; dederit, gaudendum propter communem salutem, si successor maior secururus esset.

Facit contra iusticiam distributivam Monetarius, cum amisso munere docendi, erumpit in regiam vocationem, arma capiens. Hanc conturbationem officiorum seu vocationum constat non solum perniciosam esse vitæ communi, sed etiam diuinitus puniri magnis exemplis. Ideo veteres dixerunt: *ὕψος* seu *ἀδυσία* comitem esse superbiæ, quæ *ὕψος* & ipsa verè intelligatur iusticia distributiva Dei, sicut Absalonis, Antonij, & innumerabilium aliorum ambitionem, committatæ sunt pœnæ diuinitus, ac præcipuè in Ecclesia extant insignia exempla. Dies nos de Niceatore admonet, qui 17. die Martij ante annos 1750 interfectus est, cum superbe minatus esset exciduum templo Hierosolymis. Cum igitur ipse violasset iusticiam distributivam, nec tribuisset Deo, Ecclesie, & ministerio vocis diuinæ debitum honorem, Deus iustus iudex exercet suam iusticiam distributivam, ac superbum ducem ad supplicium rapit. Metuamus ergo pœnas ultrices, & discamus in omni vitæ singulis gradibus à Deo ordinatis suum honorem tribuere, nam superbiam puniri à Deo, toties affirmat vox diuina, Vt Luc. 16 Quicquid est sublime in mundo, abominatio est coram Deo. Et Petrus inquit: Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.

Arithmetica ἀναλογία est, cum tribus aut
 quatuor numeris dispositis tantum seruetur diffe-
 rentie equalitas, 1. 2. 3. 4. Hic si in infinitum
 numerus semper differentijs equalibus numerus
 numero distat id est unitate. Si sic disponas, 3.
 4. 5. semper distat binario. Vbicunq; igitur vo-
 lueris significare, terminos omnes simpliciter æ-
 qualibus numeris distare, dicimus esse equalita-
 tem ἀναλογίᾳ Arithmetica, vt cum inter hære-
 tes multos fit talis diuisio, vt singuli accipiant
 pecunias. Hanc equalitatem requirit Ari-
 stoteles in commutativa iusticia, quia ibi tantum
 pro rebus dantur, precium pro merce, multa
 pro damno, sine aliqua personarum collatione.
 Hanc autem apparet, si in communicando vna
 pars exhauriretur, nec reciperet tantum, quantū
 dedit, non posse diuturnam esse commutationem.
 Hac igitur equalitas Arithmetica in contra-
 ctibus requiritur, vt possit esse perpetua commu-
 tatio in vniverso genere humano. Conturbata
 enim hac equalitate, exhauriri & perire vnam
 partem necesse est, vt, cum opulenti frumentum
 magno emunt, & postea rursus magno vendunt
 agricolis esurientibus, hic fame pereunt agricola-
 rum familia. Hoc fonte considerato facile intelli-
 gi potest, quare in contractibus efficienda sit æ-
 qualitas iuxta ἀναλογίᾳ Arithmetica. Est q̄
 hæc applicatio. Sicut in hac ἀναλογίᾳ differen-

rijs æqualibus distant plures numeri, sic fit æqualitas summa mercis & precij, nec opus est aliam subtiliorem applicationem quærere. Illud hic etiam consideretur, Aristotelem ratio docuit, hanc summam æqualitatem in communicatione efficiendam esse, quod videlicet altera pars exhauretur, non seruata æqualitate.

Nos vero diuina vox docet hanc ipsam æqualitatem, 1. Theff. 4. Non plus auferre in negotio, μή πλεονεκτῆρ. Cætera supra citauimus, quæ utranq; speciem iusticiæ complectuntur, & in utraq; sanciuit Deus æqualitatem: Diligas proximum sicut teipsum. Et: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Αὐαλογία Geometrica est, cum tribus aut pluribus terminis dispositis, numerorum differentia negligitur, sed retinetur similitudo proportionum, ut 7. 6. 12. 24. Sicut se habent 3. ad 6. sic se habent 12. ad 24. Vtraq; enim est subdupla. Inde fit argumentum à transmutata Proportione. Ergo sicut se habent 3. ad 12. sic se habent 6. ad 24. Vtraq; enim est subquadrupla. Postremo, & totum ad totum habebit proportionem similem primæ, iungendo 7. ad 12. erunt 15. Hæc subdupla est ad 6. & 12. Sic siue magni, siue parui numeri sint, manet connexio proportionum. Accommodat ergo Aristoteles hanc formam ad gradus functionum & personarum, ut æqualitatem efficiat non rerum, sed proportionum, & copulet gradus.

Veniunt necessaria consequentia & connexio
iuxta regulas de hac ἀναλογία: sic necessas
inducatur connexio & convenientia graduum
functionum. Semper valet hæc regula, sicut
habent 4. ad 12. sic se habent 3. ad 9. Ergo si
se habent 4. ad 3. sic 11. ad 9. Et rursus totū
ad totum necessariam habet connexionem, 4. &
videlicet 7. ad 12. & 9. id est, 21. Est enim
obscure proportio, sic etsi numeri differunt, id
est, res sunt dissimilimæ, ars bellatoris & literæ,
tamen ut se habent defensio in bellis & gubernatio
in pace, sic se habent ars bellatoris & literæ.
Ergo sicut se habet defensio ad artem bellatoris,
sic se habet gubernatio in pace ad literas. Et to-
tum ad totum habet connexionem necessariam.
Defensio, ars bellica seu Marius: & gubernatio
in pace, ac literæ, seu Cicero. Præcipue vero con-
sideretur hic, quod necessaria est connexio, eti-
am si res sint dissimilimæ. Huius connexionis ne-
cessitas conspicitur in numeris iuxta regulas con-
sequentiæ huius analogiæ. Obseruetur item
similitudo proportionum, etsi igitur longissime
differunt, Apostolus senator bellator & scholasticus
tamen hæc omnia necessariam habent con-
nexionem, & sunt æqualia non rebus, sed similitu-
dine proportionum. Tam necessarius est vitæ
scholasticus quàm rex, & est par, non numero, seu
rebus, sed similitudine proportionis.

Quisq;

Quisq; igitur suo loco sciat alios sibi connexos esse, & suum officium faciat, & connexos non impedit, non conturbet has regulas consequentiarum, non studeat $\zeta\upsilon\gamma\omicron\mu\alpha\chi\epsilon\pi$, & hanc dixit Plato imaginem esse optimi status, congruentem ad proportionem Geometricam, cum scilicet Scipio est Imperator, Lælius senator, Cato quaestor, Aquilius praetor, & omnes ita sunt connexi, ne conturbent connexionem odijs, dissidijs, ignavia aut $\pi\omicron\lambda\upsilon\pi\tau\alpha\gamma\mu\omicron\sigma\acute{\omega}\nu$. Cum autem Arithmetica ἀναλογία aequalitatem procedentem in infinitum ostendat, & certa sit progressio numerorum à certo initio, hac rectè attributa est rerum permutationi seu contractibus. At Geometrica versatur inter quatuor certas quantitates, nec una aliqua linea est initium omnium linearum, ideo hac analogia Geometrica conuenit finitis & certis gradibus in vna Repub. vt in Ecclesia profus nulli gradus sunt Turcorum, aut Iudaeorum. Mutantur etiam imperia, conturbata hac connexionē. Quare tanquam alias lineas, vel quantitates, alia imperia Deus subinde constituit.

In fine huius capituli obseruetur collatio, in tota natura oportet agentis & patientis aequalitatem quandam esse, cum actio non est permissa alterius. In calefactione corporis manifestum est, immodico calore consumi corpus; magnum lumen hebetat oculos, &c. Sit igitur inter agens & patientis

res quaedam æqualitas. Hæc similitudo accom-
modata ad societatem hominum illustre exem-
plum est. Cum omnes homines multis officijs in-
uicem deincti sint, omnes habent se, vt agentia
patientia. Quare ita seruetur societas, cum
quis non querit inæqualitatem, sed accommo-
dat se patienti, vt, cum rapit ad se omnia commo-
dum, conturbatur æqualitas, & dissipatur
societas.

Quod igitur lex diuina expresse dixit: Dili-
ge proximum, sicut teipsum, præcipiens, vt seruetur
æqualitatem: hanc Philosophia his duabus
rationibus querit, quarum altera supra posita est, Si
in contractibus non seruetur æqualitas, vna pars
iuris humani exhauriretur. Necessaria igitur
est æqualitas. Altera sic recensetur, vt inter
agentem & patientem est quaedam æqualitas, quia om-
nia sunt deincti mutuis officijs. Hæ rationes es-
sent illustriores, si natura hominum esset incor-
rupta. Tunc enim hic ordo, quem monstrant, inte-
rum esset, nunc tamen bene moratis iucundum est
his rationibus hunc pulcherrimum ordinem
considerare, videlicet, homines ad æqualitatem
mutuam & connexionem conditos esse.

Hactenus eruditè interpretatus est vocabu-
lum iusticie, & partitiones tradidit vtilis, quæ
scriptis veterum, & interdum disputationi-
bus legum aliquid lucis afferunt. Sequentur au-
tem

tem insignes alij loci de gradibus delictorum, de voluntario & involuntario, de iure naturali & positivo, de scripto iure, & æquitate, sed hic obiter inserit reprehensionem Pythagoricæ definitionis, quæ etsi continet cavillationem exiguam, tamen lucem affert superioribus, & conducit ad disputationem de talione cuius in vetustis legibus multo crebriora exempla sunt, quàm in recentibus. Nam initio longè maior securitas fuit, quàm postea, ut vetusta iura præcipiebant calumniatorem in causa capitali si sciens mentitus erat, & dolo alteri periculum struxerat, eo supplicio affici, quod sustinere aduersarium committum oportuisset. Ideo & Danielis calumniatores simili pœna affecti sunt.

Cæterum, quod ad Pythagoricam definitionem attinet, collatio obseruanda est. Supra Aristoteles toties dixit, iustum esse ἀνάλογον, ut suis cuiq; locus tribuendus est pro proportione, concionatori, duci scholastico, agricolæ, opifici. Et ut in argumentis ab ἀναλογία sumtis necessaria est copulatio: ita dicit Aristoteles in libello, cui titulus est: Magna moralia, ἀναλογία σωφροσύνης πῶς πόλις. Quo dicto significat, omnes ordines atque homines propter proportionem connexos esse, & præcipit concordiam & mutuam beneuolentiam. Constat ergo, cur dictum sit: Iustum est ἀνάλογον, sed Pythagoras aliter dixit, iustum

esse ἀνῆπεποντος, id negat Aristoteleles
 saliter verum esse. Vtraq; formaloquens
 Geometrica est, ac de ἀναλόγῳ non dubium
 id facile intelligi potest, sed ἀνῆπεποντος
 obscurius. Vocantur autem sic æquales figu-
 ræ reciproæ. Cum autem non semper possit fieri
 commutatio duarum rerum simpliciter æqualis,
 ut libra auri, & libra ferri. Ideo negat in-
 semper esse ἀνῆπεποντος, sed in distributio-
 in commutatione sæpe rediguntur res ad æ-
 quitatem analogia, ut pro vna libra auri dan-
 decem argenti. Eatenus reprehenditur Py-
 thagorica definitio quia non tantum duæ res con-
 trahuntur, & quidem eadem specie, aut simpliciter
 æquales: Sed quatuor ἀνάλογα, ideo postea di-
 non dari triticum pro tritico sed triticum pro
 Item percutiens magistratum, non vicissim
 percutiendus est, sed capitali pœna affi-
 endus est. Sed aliquando locus est legi talionis
 in homicidio, & Deus minatur eam pœnam,
 sæpe exequitur: Qua mensura mensi fueritis,
 erit metiendum vobis.
 Pertexit institutam sententiam dulcissimam
 communicatio iuxta ἀναλογίαν contineat
 rationes. Quia enim natura sic ordinata est, ut
 nullius opus sit aliena ope, ut nemo solus gignit,
 nemo natos educare sine aliena ope potest, nemo
 potest omnia vitæ præsidia parare. Ideo
 neces.

necessario communicanda sunt officia, & res communicandæ sunt. Vt autem sit perpetua communicatio, prius res ad æqualitatem redigenda est, & constituendum est, quantum lignorum pro tritico dandum sit.

Ita veteres rerum permutationem exercebant, vt apud Homerum pro vino dantur boues. Postea vt ijs, qui res afferre non possent, aliud quiddam esset æquiualens, institutum est precium, seu nummus, hanc vocat mensuram contractuum. Hæc satis prolixè hic dicuntur, sed in summa sciamus non solum in Philosophia, sed etiam in lege Dei, hoc tradi, homines ad societatem & communicationem conditos & ordinatos esse, & Deum præcipere æqualitatem in contractibus, vt supra sæpè dictum est, imo æqualitatem quam nobis præcipit, sciamus iudicium esse æqualitatis in mente diuina, de qua dicitur: Deus vult omnes homines saluos fieri. Item: Deus non est acceptor personarum. Postremo & hoc consideretur, res pro proportione ad æqualitatem redigendas esse, vt, magis est opus tritico, quam ligno, & minor est copia tritici, ideo tritici est maior æstimatione. Hæc analogia inuenitur ita, cum consideratur, quæ res magis necessaria sit, & cuius sit maior copia.